

## Appendix ad Ephemerides Latinas

Nro. 30.

*Complectens Physico - Oeconomica.**Urticae dioicae multiplex utilitas, eamque colendi ratio.*

Plantas inter, quæ ubique pæne locorum sua sponte, ac nullo serente læte abundanterque proveniunt, atque insigni, & multiplici utilitate sua præprimis se commendant, Urtica dioica (Nessel; égetö - csallán; Prühlawa. Zihlawa) haud postremum tenet locum. Imprimis ea cuilibet fere pecorum generi gratissimo, & saluberrimo pabulo servit, quo non modo a morbis, imo ipsa etiam lue contagiosa incolume servatur; sed & in carne plurimum proficit, pinguedinemque concipit. Plurimum annorum experientia docuit Suecos, nulli alteri causæ perpetuam incolumitatem, immunitatemque a lue, ac profluvio alvi pecorum plagarum quarundam Regni sui adscribendam esse, quam Urticæ dioicæ, qua sola fere in locis illis pecora pabulantur. Præprimis autem usus herbæ hujus pro vaccis mulgibilibus commendari meretur; quoniam hoc veluti condimento recreatæ lac melius conficiunt, cujus deim

cremosus flos eximii prorsus saporis, & amoene flavi coloris, quem hyeme perinde ac æstate præsefert, butyrum suppeditare dicitur. Eadem autem pabulo huic virtus inest, seu viride, alterique sicco alimento immixtum, seu aridum, foeni ordinarii loco, pecoribus propinetur; maxime interim proficuum autumant, si, quamdiu viride est, juxta morem incolarum Lusatix inferioris, ferventi aqua primo perfusum, tum porrigatur, postquam aliquantum refrixit, ac intepuit: nam modo hoc salutaris urticarum virtus in adfusam aquam se diffundit, eam fusco colore tingens; sicque pecora & jucundo potu, & gratissimo emollitarum herbarum cibo reficiuntur. Quodsi urticas in foenum convertere placuerit, eas antequam culmus indurescat, foliaque inferiora maximam partem decidant, dum videlicet longitudine ulnam unam, aut semialteram æquant, desecare oportet. Quodipsum pro locorum varietate 5 aut 6 intra annum vicibus fieri potest: quippe celerrime crescit, & vere, dum gramina, aliaque herbarum genera vix e terra emergunt, jam falci fere aptæ urticæ sine noxa desecari, ac in usum converti possunt.

Præter expositam modo utilitatem e cultura urticarum in nos redundantem, insuper eadem plura alia commoda præstant. Etenim eæ, dum teneræ adhuc sunt, consecræ altilibus salubrem escam suppeditant: siccæ autem, & bulliente aqua perfusæ, tum furfuribus, aut hordeo siliginique in far commo-

litis  
prim  
que  
sunt  
tur,  
mi s  
vero  
vitee  
tion  
ragi  
ti s  
Si p  
car  
nul  
am  
gis  
po  
qu  
qu  
rin  
ma  
nih  
tis  
tar  
thi  
va  
nu  
de  
se  
do  
pr  
Si  
&

litis permixtæ, setigerum pecus, verno præ-  
 primis tempore, egregie pascunt, saginant-  
 que. Neque pro hominibus prorsus inutiles  
 sunt. Nam si teneræ earum plantulæ coqsan-  
 tur, & ad normam olerum præparentur, opti-  
 mi saporis dapem præbere dicuntur; crudæ  
 vero cum oleo & aceto confectæ, lactucarum  
 viæes haud incommode suppleant. Pari ra-  
 tione tenera earum germina, in modum aspa-  
 ragi, aut germinum lupuli cocta, non ingra-  
 ti saporis Cibum suppeditare multi asserunt.  
 Si plura tentamina nunc allatum usum urti-  
 carum in alimentum hominum probaverint,  
 nullum de utilitate earum haud contemnenda  
 ambigendi locum relinquent, eo quidem ma-  
 gis; quod e facili copia herbæ hujus haberi  
 possit. In saluberrima medendi arte exiguus  
 quidem nunc plantæ hujus usus est, partim  
 quod consuetudine aliæ principatum obtinue-  
 rint; partim quia aliis, quarum medica virtus  
 magis est explorata, locum cedere debuerunt;  
 nihilominus non pauci e discipulis Hippocra-  
 tis hodie etiam infusione foliorum urticæ,  
 tanquam remedio sanguinem purgante, in ar-  
 thritide, Podagra, Gutturis affectionibus, &  
 variolis utuntur. Multo major est usus semi-  
 num urticæ apud artis veterinarie gnaros in  
 depellendis variis Equorum morbis. Eadem  
 semina cum avena equis porrecta pilis splen-  
 dorem; gallinis vero, cum consveto pabulo  
 projecta, foecunditatem conciliare dicuntur.  
 Simili virtute folia quoque urticarum arida,  
 & aquæ incocta, prædita sunt; imo experi-

entia docuit, carnem quamcunquo duram cum urticis coctam emollescere, eamque, foliis earumdem obvolutam, longiore tempore vigorem suum conservare. Porro radix urticæ in aqua cocta, imposita ova a-mæne flavo colore tingit, quem pro arbitrio intendere licet, si vel aluminis quidpiam, aut salis communis adjiciatur; &, juxta experimentum D. Börnesz, urtica cum aqua Decoctum subviride præbet, quo pannus viridi ad flavum inclinante, addito autem alumine, perfecte flavo colore, imbui potest. Demum nec caudices urticarum utilitate destituuntur, præprimis in regionibus, lignorum inopia laborantibus; siquidem autumnò collecti, siccatique, non modo vivaci cum flamma ardeant; sed etiam præstantes cineres suppeditent.

Maximæ utilitatis in urticis est cortex earum exterior, e quo telæ species quædam conficitur. Ars e caudicibus urticarum fila nendi Hollandis, Gallisque jam dudum nota est, a quibus opus hoc sequentem in modum perficitur: Caudices urticarum, postquam plenam maturitatem adepti sunt, mense Augusto, aut Septembri pro tempestatum varietate secula ei consimili, cujus communiter in metendis frugibus usus esse solet, prope radicem rescindunt. Maturitas autem his potissimum argumentis intelligitur: si folia defluant, si caudex decolorari incipiat, fiatque luteolus, flavus, aut fuscus, si semen receptaculo suo debiliter inhæreat. Hæc si in unum competant, & ce-

teroquin apertum sit coelum. tempestivum censent, eosdem resecare. Resectos dein in campo exporrigunt, solis radiis persiccandos, ut folia a caudicibus facilius avellantur. Tum collectos in fasciculos limpidæ aquæ fluviorum, aut lacuum immergunt, a 6 usque 12 dies pro ratione constitutionis atmosphæræ macerandos; ut lignæ carnosæque partes minore opera a pilosis fibrillis separentur. Demum ad modum lini, aut cannabum in furno, vel peculiari quopiam testo torrentur, in cippo franguntur, pectinantur, ac ductis filis in usum convertuntur.

Commoda hæc urticarum, nunc recensita, earumdem cultoram non tantum svadere, sed etiam persvadere possunt; ut utilitas earum pro possibili ampliatur. Porro modus colendi eas hic est: Si urticas seminibus propagare libet, ea e maturis colligantur, & mense Septembri in campum nonnihil subaratum dense potius, quam rare spargantur. Quia vero e seminibus prima æstate nulla messis haberi potest, magis proficua ratio urticas multiplicandi videtur esse sequens: Herbæ urticarum validioris incrementi mense Septembri, aut Octobri radicitus evellantur, rescissisque caudicibus, & separatis ab invicem radiculis, eædem in præparatam terram ordinate depangantur. Reliqua cura in eo consistit; ut, depositis non raris a se invicem intervallis radicibus, humus iis sollicitè apprimatur, ne a rectilineo situ deterqueantur. Ita transplantatæ urticæ,

primo statim anno herbam, usui idoneam, proferent; neque ulla amplius substitutione indigent; cum omnem aëris injuriam absque noxa sustineant, & semel satæ se ipsas multiplicent. Nec ad Soli naturam conditionemque multum est attendendum, neque emendationis ejusdem per fimationem ratio habenda. Omni enim Solo, etiamsi sterile fuerit, delectantur, dummodo humo ad unum duosve pollices contactum sit. Quodsi interim stercorare illud ad majorem fertilitatem conciliandam libuerit, sufficiet, si autumno folia arborum, frondesque, ligna semiputrida, stramen, & quæcunque purgamenta ad campum, urticis consitum, evehantur.

Ultimo commemoranda adhuc venit peculiaris urticarum proprietas, qua ab omnibus aliis vegetabilium generibus distinguuntur; quod nimirum contactæ sensationem cum dolore conjunctam excitent. Provenit autem hæc ab acri succo in vesiculis spinarum contento. Dum nempe aculei, quibus tam caudex, quam folia urticarum densissime referta sunt, Cutem corporis animalis contingunt, franguntur, ruptaque vesicula, infimæ aculeorum parti adnata, acris liquor effluit, qui in factum aculei ope vulnus transfusus, eum, quem experimur, causticitate sua doloris sensum excitat. Sensationem porro hanc a dicto succo revera ortum suum habere, probat id; quod si aculei, caute decerpti, vesicula tenui acus cuspide pertundatur, ille, etiamsi delicatissimis corporis animalis partibus

adplic  
citand  
tare  
comp  
tisper  
cujus  
spinæ  
ne au  
quor  
grata  
habet  
sum  
verbo  
stitui  
adpe  
dem  
med  
De

bilia  
nem  
non  
omn  
disti  
man  
xim  
tem  
nem  
ut n  
tritu  
psur  
oleo  
gari

adplicetur, ne minimum quidem dolorem excitandi capax sit. Qui igitur læsionem evitare cupit, urticas infima sui parte manu comprehendat, hancque, comprimendo tantisper herbam, versus apicem promoveat; cujus ratio est: quod subtilissimæ urticarum spinæ sursum versus erectæ sint, compressione autem vesiculæ rumpantur, e quibus liquor absque noxa effunditur. Ceterum ingrata licet hæc urticarum qualitas, utilitatem habet: nam membris, in quibus stupor sensum omnem exstinxit, repetita urticarum operatio sensationem rursus & motum restituit, operationem hanc Medici urticationem adpellant. Similiter adversus lethargum eadem ista proprietate urticæ efficacissimo remedio esse dicuntur.

*De maximis Orbis terraquei Adamantibus.*

Si Adamas in se spectetur, eum mirabilia inter naturæ producta referendum esse, nemo ambiget. Est enim rarum phenomenon, & iis gaudet proprietatibus, quibus ab omnibus aliis notis terræ nostræ corporibus distinguitur. Porro proprietates, quæ adamanti summam æstimationem, pretium maximum, & primatum inter gemmas omni tempore conciliarunt, duæ sunt: durities nempe, & splendor. Durities ejus tanta est; ut non modo limæ, sed etiam cuilibet alteri tritui resistat; quapropter nonnisi per se ipsum, id est pulveribus adamantis, affuso oleo in massam (Schmiergel) redactis, lævigari polinque potest. Veteribus ars adaman-

tibus polituram indendi prorsus ignota erat. Primus eandem detexit Ludovicus a Berguen Belga, qui primum adamantem 1476 pro Carolo Audace Duce Burgundiæ scidit. Pro polituræ diversitate tres in classes dividuntur: ad primam ii referuntur, qui utrinque, superne & inferne, plani sunt, & nonnisi in lateribus angulosas superficies (Facetten) habent; hi ceteris paribus minimi sunt pretii. Ad alteram ii pertinent, quorum pars inferior plana est, superior autem angulatis superficiebus in unam cuspidem abeuntibus, constat. Tertiam demum classem vulgo dicti Brilliant constituunt: isti æquali superius & inferius angulata politura præditi sunt: inferne semper in apicem desinunt, superne vero quandoque horizontale planum, angulis intercisum, referunt, maximoque in pretio habentur. Ceterum pretium adamantis non tantum a polituræ ratione, verum etiam a pulchritudine ejus dependet. Hæc vero a tribus æstimatur; videlicet ab aqua, seu pelluciditate, puritate, & splendore seu ignis vivacitate. Pretium eorum determinandi sequens est ratio. Crudus adamas juxta pondus suum, puritatem, aliasque, quibus præditus est, dotes æstimatur; pondus vero in sic dictis Caratis exprimitur, quarum quælibet 4 granis æquivalet. Augmentum ponderis auget quidem etiam pretium lapidis; verum non in ratione simplici, sed quadratica. Sic e. g. si adamas, appendens Carat unum, æstimetur in fl. 20, idem, ponderis 2. Carat, non 40, verum 400 fl. pretio veniet.

(Continuabitur.)